DE
TRANSFVGA SIMVLATORE,

Vom

Verſtellten Uberläuffer.

PAVCA DISSERIT
IO. CHRISTIANVS HEDLERVS, D.

BIBLIOTECA ... ROMA ... VITTORIO ...

VITEMBERGAE, 1743.

Ex Officina BOSSOEGELII.

Digitized by Google

EXCELLENTISSIMO AMPLISSIMOQVE

DOMINO

ANTONIO GÜNTHERO LOESCHERO,

JVRECONSVLTO PRAESTANTISSIMO,

REGI POLONIARVM ET ELECTORI SAXONIAE A CONSILIIS IN REGIMINE LVSATIAE INFERIORIS, ET CONSISTORII ECCLESIASTICI, QVOD LVBENAE EST, ASSESSORI MVLTO GRAVISSIMO,

PATRO-

Digitized by Google

PATRONO

AC

AFFINI SVO

FILIALI OBSEQVIO

AC REVERENTIA

COLENDO

HAS PAGINAS

DEDICAT

AVCTOR.

§. I.

Seculi noſtri faciem tot bellorum tempeſtates terra marique obnubilant, ut ad leuiſſimam belli mentionem cohorreſcamus omnes. Maximi momenti res eſt bellum, ex quo mala plurima etiam in innocentes redundant. Graphice Caeſar *in bello Catilinario c. 51.* calamitates belli deſcribit apud Salluſtium. Plerique eorum, inquit, qui ante me ſententias dixerunt, compoſite atque magnifice caſum Reipublicae miſerati ſunt, quae belli ſaeuitia eſſet, quae uictis acciderent; enumerauere, rapi uirgines, pueros, diuelli liberos a parentum complexu, matres familiarum pati, quæ uictoribus collibuiſſent, fana atque domos exſpoliari, caedem, incendia fieri, poſtremo armis, cadaueribus, cruore, atque luctu omnia

Digitized by Google

compleri. Hac in cauſa dubitatio nulla eſt. Namque belli non aduentus ſolum, ſed etiam metus affert calamitatem. Cum hoſtium copiae non longe abſunt, etiamſi irruptio facta nulla ſit, tamen pecora relinquuntur, agricultura deſeritur, mercatorum nauigatio conquieſcit, CIC. *pro Leg. Man. c. 6.* In bello nullus aratro dignus honos, ſqualent abductis arua colonis. VIRG. I. *Georg. u. 9.* Grauiter LIVIVS dicit: Quaedam belli iura eſſe, quae ut facere, ita pati ſit fas: ſata exuri, dirui tecta, praedas hominum pecorumque agi, eaque miſera magis, quam indigna, patienti. Scelera eunt per cunctas domos, nullum caret exemplo nefas, SENEC. *Hipp. Act. 2. u. 553.* Et, bone Deus, quae eſt effuſio ſanguinis? Quis Deus, o Muſae, paribus tot funera uerbis euoluat, tantisque umbris in carmine digna quis lamenta ferat? SILIVS ITALICVS *Lib. V.* Quae etiam quaeſo ſunt caedes? Quis cladem illius noctis, quis funera fando explicet, aut poſſit uerbis aequare dolorem? VIRGIL. *Lib. II. Æneid.* uel ut graphice canit, beatus Paulus Gerhardus: Das druckt uns niemand beſſer in unſre Seel und Hertz hinein, als ihr zerſtörten Schlöſſer und Städte voller Schutt und Stein. Ihr vormahls ſchönen Felder mit friſcher Saat beſtreut, ietzt aber lauter Wälder, und dürre wüſte Heid. Ihr Gräber voller Leichen und blutgen Helden Schweiß, der Helden, derer gleichen auf Erden man nicht weiß. Stat cruor in templis, multaque rubentia caede lubrica ſaxa madent, nulli ſua profuit aetas, LVCAN. *Lib. 2.* Occidere uictos jus belli appellatur, quin & ſacra & profana eri-

Digitized by Google

eripere jus militare eſt. Homicidium cum admittunt ſinguli, crimen eſt; uirtus uocatur, cum publice geritur; impunitatem ſceleribus acquirit non innocentiae ratio, ſed ſaeuitiae magnitudo. Uſque adeo nihil in bello ſanctum, ſaluum nihil, nihil incolume relinquitur, non ſacra, non profana, non homines, non caelites. Cruentus Mars omnia promiſcua, nihil penſi, nihil moderati habet. Non Jura ſolum gentium, ſed & Naturae in contrarium mutare ſuſtinet bellum. Accedunt alia mala. Aerarium exhauritur; conuertitur in uſum militum omnis pecunia. TACIT. *Hiſtor. l. 89. 1.* Pauperem populum faciunt bella, & Prouincias eneruant. Intuere, inquit Caenus ad Alexandrum, corpora exſanguia, tot perfoſſa uulneribus, tot cicatricibus putria. Jam tela hebetia ſunt: jam arma deficiunt. Quoto cuique lorica eſt? quis equum habet? omnium uictores, omnium inopes ſumus. Nec luxuria laboramus, ſed bello. Inſtrumenta belli conſumſimus. Hunc tu pulcherrimum exercitum nudum objicies belluis? Quodſi adhuc penetrare in Indiam certum eſt, regio a meridie minus uaſta eſt, qua ſubacta licebit decurrere in illud mare, quod rebus humanis terminum uoluit eſſe natura. CVRT. *Lib. IX. c. 3. n. 10. ſeqq.*

§. II.

Belli incommoda utut maxima, miſeriaeque grauiſſimae, tantum tamen abeſt, ut bella minime gerenda eſſe putemus, ut potius, cum non omne bellum juri Naturae aduerſari ſciamus ex GROTII *Lib. 1. & 2. de I. B. & P.* quaedam omnino ſuſcipienda eſſe

firmiter ſtatuamus. Pacis quidem potior debet eſſe ratio, quam belli, ſed patria, libertas, ciues, atque adeo ipſi reges latent in tutela ac praeſidio bellicae uirtutis. Duo enim ſunt, quibus omnis Reſpublica ſeruatur, in hoſtes Fortitudo, & domi Concordia. Δυοῖν γὰρ ὄντων, δι᾽ ὧν σώζεται πολίτευμα πᾶν, τῆς πρὸς τοὺς πολεμίους ἀνδρείας, καὶ τῆς πρὸς σφᾶς αὐτοὺς ὁμονοίας. ARISTOT. *Pol. 6. 44.* qui locus Ariſtotelis fundamentali ſua grauitate & generalitate memorabilis eſt. Cum enim duo ſint Reipublicae tempora, belli nimirum & pacis, ideo altera curarum imperii pars ſtudiis bellicis nunquam non impendenda eſt. Decet igitur principem promtum ſemper paratumque eſſe, ad res bellicas. Non enim ignauia magna imperia continentur. Sunt, qui bella in genere, etiam juſta, deteſtantur, quia effundere ſanguinem humanum, cum humanitate, quam φιλανθρωπίαν uocant, e diametro pugnare uideatur, & ab hominis natura nihil magis abhorreat, quam mutuis ſaeuire armis. Sed enim uero hic illud ualet: Juſtum bellum, quibus neceſſarium, & pia arma, quibus nulla niſi in armis relinquitur ſpes, *LIV. 9. 1. 11.* In eum, qui jure agere & ſatisfacere paratus eſt, nefas bellum ſumere, tanquam in injurium; at ſi abnuit, reſque retinet, quid eſt, quod contra uim ſine ui fieri poſſit. *CIC. Lib. 12. Ep. 3.* Hoc in caſu licet, ſemperque licuit, unicuique jus ſuum, auxiliis undecunque accerſitis, tueri, *THVANVS, Lib. LXXIX.* Non igitur alio dirigenda ſunt arma, ſi pura ea eſſe uis, quam ad tranquillitatem & tutelam. Ita bellum ſuſcipiatur, ut nihil aliud, quam

pax

Digitized by Google

pax quaeſita uideatur. *CIC. I. de Offic. 23.* Bellum gerimus, inquit *ARISTOTELES, ad Nicom. X. c. 6.* ut in pace degamus. Sapientes pacis cauſa bellum gerunt, & laborem ſpe otii ſuſtentant. De Mauritio, Principe Auriaco, ſcribit Daniel Heinſius in Oratione funebri ſequentem in modum: Sic bellum geſſit, ut hic pacem habeamus, ita pacem inter arma conſeruauit, ut calamitatem belli nemo, praeter hoſtem publicum, ſentiret.

§. III.

Quamuis autem bellum juſtum ſuſcipi poſſe ſtatuamus, tamen, cum juſta cauſa oblata eſt, non ſtatim deſcendere in Martium campum ſuademus. Magna res eſt, ideoque deliberationem poſtulat, eamque lentam. Tecum prius ergo uoluta haec animo, ante tubam galeatum ſaepe duelli poenitet. *JVVEN. Sat. 1.* Nam ſcito omne bellum ſumi facile, caeterum aegerrime deſinere, nec in ejusdem poteſtate initium & finem eſſe, *SALLVST Jugurth. 83. 3.* Facile eſt, objicere ſe periculis, ſed reuocare gradum, non ita expeditum; nec raro ſpes, quas manibus tenere uidemur, ſubito elabi, ſecuritatemque eludere noſtram ſentimus. Incertus belli dubiusque Mars eſt, *THVCTD. Orat. Archidami ad milites Peloponeſios.* Fortuna, quae plurimum poteſt, cum in reliquis, tum praecipue in bellis, paruis momentis magnas rerum commutationes efficit, CAESAR *Lib. III. de bello Ciuil.* & *Lib. VI. de bell. Gallic.* Licet omne tecum Graeciae robur trahas, licet arma longe miles ac late explicet, Fortuna tamen belli ſemper ancipiti in loco, SENE-

CA *Theb. u. 38.* atque ut per omnia humana, ita maxime in res bellicas potens eſt, LIV. *9. 17. 3.* Hannibal, ad proſpicienda cauendaque pericula uir peritus, nec minus in ſecundis aduerſa, quam in aduerſis ſecunda cogitans, JVSTIN. *Lib. 31. c. 2.* toties uictor, tandem in Africa a Scipione uictus oberrauit. Nusquam minus, quam in bello, euentus reſpondet, incerti ſunt exitus pugnarum, Marsque eſt communis, qui ſaepe ſpoliantem jam & exultantem euertit; & quamuis mens nil, quam ſecundos praefiguret exitus, obſeruatum tamen longa experientia fuit, plurima, quae & recte conſulta uideri potuiſſent, turpiter cecidiſſe, ſuosque auctores ſpe ſua defraudaſſe. Simul parta ac ſperata decora unius horae fortuna euertere poteſt, LIV. *30. 30.* idque uariis fieri caſibus ſolet. Magnus ille Imperator, Scipio, ad Hannibalem uerba faciens, ait: Humanae infirmitatis memini, & uim fortunae reputo, & omnia, quaecunque agimus, ſubjecta eſſe mille caſibus ſcio, LIVIVS, *30. 31.* Hos quis enarrabit omnes? Quis nouit fortunae modos omnes, luſusque? Noſtrum non eſt, qui ſumus umbratici, qui nunquam hoſtem, nunquam caſtra uidimus, nunquam denique partem ullius bellici muneris attigimus, CIC. *2. de Orat. c. 18.*

§. IV.

Huc tamen pertinere putamus *Stratagemata*, quae Braſidas *belli furta*, dicens: illa belli furta pulcherrimam laudem habent, per quae hoſtes maxime decipiuntur, & amici juuantur, THVCYD. *5. 2. 5.*

Taci-

Tacitus uero *inſidias degeneres* nominat. Dantur, qui ea ſtratagemata improbant, dicentes, eſſe ueri militis, imo uiri, non fraude, neque occultis, ſed palam, & armatum hoſtes ſuos ulciſci, TACITVS *Annal. 2. 88. 1.* Vir nemo mentis altae clanculum uelit occidere hoſtem, ait EVRIPIDES, *in Rheſo, uerſ. 510.* Vinci ſatius, quam malo more uincere, uidebatur Scauro apud Salluſtium. Sed de hujus controuerſiæ ueritate tantopere non diſputabimus. Venit enim in mentem, hoſtem eſſe, in quem ea uſurpantur, quem perdere mos fasque, quid uero refert, quomodo? Tritum eſt illud Poëtae: dolus an uirtus, quis in hoſte requirit. VIRG. *2. Æneid, u. 390.* Ecce uenator etiam feras, quasdam ui & manu interficit, quasdam occultas ſubſiſtit, & laqueis aut retibus captat, quis reprehendit? Sic prudentes & callidi belli duces arte, quam ui, uictoriam parare, fallere ſine periculo, quam cum periculo decertare, utilius interdum rentur. Confirmat hoc Vegetius, quando ſcribit: Eos optimorum ducum nomine fungi, qui non caſu, ſed arte dimicant, qui non aperto Marte praelium, in quo eſt commune periculum, ſed ex occulto ſemper attentant, ut, integris ſuis, quantos poſſint, hoſtes interimant certe ac terreant. Hoc nimirum illud eſt, quod Salluſtium probare ſolitum Seruius & Iſidorus ſcripſerunt: Duces laudaſſe, qui incruento exercitu uictoriam deportarunt. Porro aſtus & dolus plerumque ſolet aperta ui longe efficacior eſſe in bellicis praeſertim tumultibus. Ob hanc cauſam Spartani ad bellum accincti, offerebant Marti *taurum*, & *uulpem*, his docentes:

belli

belli ducem non ſolum fortem, ſed etiam aſtutum eſſe debere. Et Parmenio, peritiſſimus inter duces artium belli, furto, non praelio, opus eſſe cenſebat. CVRT. *Lib. IV. 13. 14.*

§. V.

Hanc ob rem Exploratores adhibentur, qui locorum ſitum, regionis naturam, hoſtiumque exercitum perquirant, & omnia dicta, facta, uiſa, audita, ſtudioſiſſime obſeruent. Maximi ſemper fuit momenti ad omnes res bellicas, ut fidiſſimi & diligentiſſimi Exploratores habeantur, eaque de cauſa nullis parcatur ſumtibus, quoniam unicum hoſtium conſilium opportune & mature cognitum, poteſt aliquando uniuerſum negotium ad optatum finem perducere, aut aliquas copias ex imminenti periculo conſeruare. Et dux bonus nunquam facile hoſtem aggredietur, priusquam & uires ejus, & copiarum numerum accurate explorauerit. Qui enim uere de ſuis hoſtiumque copiis judicare poteſt, difficile uincitur. Speculatores propterea in omnes partes dimittunt, eum in finem, ut, ſi accidat, quosdam ab hoſte intercipi, reliqui rem omnem conficiant. Sunt enim multis expoſiti periculis, praetereaque grauiſſimis, ſi capiantur, poenis affliguntur, nec facile ulli tam licet eſſe felici, ac quidem licuit Exploratori ab Aldegundio in caſtra Alexandri Farneſii miſſo. Hic enim exploraturus pontis formam, hoſtiumque conſilia, agnitus captusque, ſed contra, quam metuebat, ab Alexandro Farneſio exceptus juſſusque eſt circumire caſtra, contemplari ſtructu-

ſtructuram pontis, numerare naues, tormenta, propugnacula; deinde ad eum dicit; Uade liber ad eos, qui te ſpeculatum miſerunt, & poſtquam, quae oculis ipſe tuis uſurpaſti, omnia percenſueris, adde, firmum fixumque eſſe Alexandro Farneſio, ab obſidione non ante diſcedere, quam aut ſub illo, (& pontem demonſtrauit) tumulum ſibi condat, aut per illum in urbem ſibi uiam ſternat. FAMIAN. STRAD. *Dec. II. Lib. VI. de Bell. Belg. fol. 240.*

§. VI.

Minime raro Transfugarum nomine quosdam emittunt, ut per hos damnum, quacunque fieri ratione poſſit, hoſtibus inferatur. Peſſimum hocce genus eſt. Exploratores enim, quantum fieri poteſt, clanculum & tecte intrare ſolent. At ejusmodi transfugae ſimulatores publice ueniunt, ſpeciemque boni uiri prae ſe ferunt, juſtasque cauſas obuertunt, propter quas caſtra priora deſeruerint. De his jam nobis breuiter res erit, quoniam haec ad ſtatum praeſentis temporis conuenienter dici non dubitamus. Vocem Transfugae, uocem ſimulatoris, grammatice non conſiderabimus. Norunt ſignificatus pueri. Transfuga non is ſolus accipiendus eſt, qui aut ad hoſtes, aut in bello transfugit: ſed & qui per induciarum tempus ad eos, cum quibus nulla amicitia eſt, fide ſuſcepta transfugit, *Leg. 19. §. 8. ff. de captiuis & poſtlim.* A transfuga differt *emanſor*, qui diu uagatus ad caſtra regreditur, & *deſertor*, qui per prolixum tempus uagatus reducitur, *l. 3. ff. de re milit:* quoniam ad hoſtes

transſugiſſe non dicuntur. Transſugam diſtinguimus in uere talem, & ſimulate talem. Ille eſt, qui uexillo, quod ſequebatur hucdum, relicto, transfugit ad copias alterius, animo nunquam redeundi. Hunc Cujacius definit, quod ſit proditor, qui fide mutata ad hoſtes tranſit. Si ſit, ut ad hoſtem e noſtris deficiant, utile aliquando eſt, edere in uulgus, noſtro juſſu abiiſſe. Hujus rei excellentiſſimum habet exemplum LIV: *Lib. I. c. 27.* ſequentem in modum: Abeuntibus Albanis acie Tullus in re trepida duodecim uouit Salios, fanaque Pallori ac Pauori, equitem clara increpans uoce, ut hoſtes exaudirent, redire in praelium jubet; nihil trepidatione opus eſſe: ſuo juſſu circumduci Albanum exercitum, ut Fidenatium nuda terga inuadant: idem imperat, ut haſtas equites erigere jubeat; id factum magnae parti peditum Romanorum conſpectum abeuntis Albani exercitus interſepſit: qui uiderant, id, quod ab rege auditum erat, rati, eo acrius pugnant. Refert JVLIVS FRONTINVS *Lib. II. c. VII. ſeqq.* Sulla, cum praefectus ejus, comitante non exigua equitum manu, commiſſo jam praelio ad hoſtes transfugiſſet, pronunciauit juſſu ſuo id factum; eaque ratione militum animos non tantum a confuſione retraxit, ſed etiam quadam ſpe utilitatis, quae id conſilium ſecutura eſſet, confirmauit. Congruunt haec praeceptis ONOSANDRI *c. 23. ſtrategici*; Imperator interdum, ſi in dextro ſuorum cornu ſit, exclamet: milites, qui in laeuo ſunt, dextrum hoſtium cornu uincunt; Si in ſiniſtro ſit, dicat, ſuperiores eſſe in dextro, ſiue ita uere fiat, ſiue ſecus.

ſecus. Neceſſarium enim mendacium dici oportet, certamen ubi extitit ingens. Item, ſi longiuſcule abſit hoſtium dux, aut ſi in altero cornu uerſetur, aut medium agmen cogat, rurſus profuerit exclamari, interfectus eſt hoſtium Imperator! atque haec tanto clamore pronunciari debent, ſimul ut hoſtes exaudiant.

§. VII.

Sed ad *Transfugas ſimulatores* applicari nequit Cujacii definitio. Tranſeunt quidem etiam ad hoſtes, ſed non fide mutata. Transfugae igitur Simulatores ii ſunt, qui transfugiunt ad hoſtes animo non ſolum redeundi demum, ſed etiam iis interea, ad quos confugerunt, nocendi, ſuisque, a quibus tantiſper diſceſſerunt, inſeruiendi. Quam circumſpecte igitur hic agendum, & quam caute res accuranda omnis, ne transfugis temere fides habeatur, quis eſt, qui non intelligit? Dauides transfugerat ad Philiſtaeos, neceſſitate coactus, timore mortis compulſus, quam Saulus minabatur. Philiſtaeis caſtra aduerſus Iſraëlitas mouentibus, bello intereſſe uolebat Dauides, ſed Philiſtaei reſpuebant comitem, quod facile putabant, fore, ut inter arma ipſorum adverſarius exiſteret, iisque, a quibus profugiſſet, in ipſo praelio accederet, *1. Sam. 19.* Neminem fore, qui hoc conſilium explodat rideatque, hujus potius facti memoria poſſe quemuis erudiri putamus, quam ſollicite & circumſpecte cum transfugis agendum, & quam caute fides iis ſit habenda.

§. VIII.

Transfuga uere talis peccat in eos, a quibus aufugit. Transfuga Simulator peccat in hos, ad

 quos

Digitized by Google

quos transfugit. Transfuga uere talis, uidelicet qui animo nunquam redeundi diſceſſit a ſuis, ſi intercipitur ab iis, a quibus aufugit, recte punitur. Deſerit uexillum, cui defendendo ſe jurejurando adſtrinxit, inuocauitque Deum teſtem uoluntatis ſuae, quod non uelit fallere. Frangit igitur fidem, jurato datam, nec, eam ob cauſam, fidem ei ab his habendam eſſe putamus, ad quos transfugit. Ubi enim ſemel quis pejerauerit, ei credi poſtea, etiamſi per plures Deos juret, non oportet. Grauiſſimae eos poenae manent, ſi capiantur a ſuis. Proditores, transfugae, plerumque capite puniuntur, & exauctorati torquentur. Nam pro hoſte, non pro milite habentur. *L. 7. ff. de re milit.* & uerba ſic ſe habent Maximiliani II. in der Reuter-Beſtallung Art. LXII. Welcher zu den Feinden hinüber fallen würde, der ſoll durch den Feld-Marſchall und das Reuter-Recht zu einen Schelmen und unehrlichen Mann gemachet, öffentlich dafür ausgeruffen und geblaſen werden. It. Art. LXIII. Da einer im Felde von ſeiner Fahnen fliehen, oder ſonſten heimlich oder öffentlich Flucht machen würde, der ſoll an Ehr, Leib und Leben geſtrafft werden. Da auch andere, die ſolches ſehen, derhalben auf unverwendeten Fuß in denſelbigen ſchieſſen, oder ſtechen, die ſollen daran nicht gefrevelt, ſondern noch groſſen Danck darzu verdienet haben. Nec aliter diſpoſitum eſt in dem Articuls-Brief der Reichs-Völcker, wie ſelbiger den 6. Nov. 1672. auf dem Reichs-Tage zu Regenſpurg verglichen, und 1682. reuidiret worden, Art. 88. Wer von einer Compagnie, darunter er gehörig, ſich wegbegeben will, derſelbe ſoll

zwar

zwar ſeine Entlaſſung und gebührlichen Paßport erhalten; wer anders thut, und ohne Abſchied heimlich von ſeinem Regiment ſich hinweg machet, Fahnen und Eſtandarten verläſſet, deſſen Nahme ſoll, Kriegs-Gebrauch nach, öffentlich an den Galgen geſchlagen, derſelbe auch im Reich nicht gedultet, und da er künfftig wieder ertappet wird, ohne einige Begnadigung aufgehencket werden. In articulis bellicis Petri I. Ruſſorum Imperatoris, cap. XII. haec continentur: Welche vor dem Feinde, oder in der Action ausreiſſen, und feldflüchtig werden, ihre Fahne und Eſtandarte nicht bis auf den letzten Bluts-Tropffen vertheidigen, die ſollen Vogelfrey, und iedermann als Schelmen preiß gemacht, und wenn man ſie ergreifft, entweder nieder gemacht, oder da es ſeyn kan, an die Compagnie oder Regiment geliefert, und daſelbſt ohne Proceß an den nechſten Baum aufgehencket werden. Mit ebenmäßiger Strafe, nemlich dem Galgen, ſollen auch alle die beleget werden, welche aus Belagerungen, Beſatzungen, Lägern, Märſchen, oder ſonſten weglauffen, und ausreiſſen, und nicht bey ihren Fahnen und Eſtandarten unverrückt und treulich halten, ſie mögen über kurtz oder lang ertappet werden. In Saxonia, & quidem in Ordinatione Johannis Georgii II. Art. XV. haec habentur: Keiner ſoll ohne Urlaub, und merckliche Urſachen, ausm Zuge oder von der Wacht gehen, noch weniger über Nacht von ſeinem Fähnel bleiben, am allerwenigſten aber ſich heimlich abſentiren, und ohne redlichen Abſchied vom Fähnel lauffen; die ſolches thun, ſollen mit ernſter Strafe beleget, auch nach Beſchaffenheit, wie Kriegs-gebräuchlich, ihrer Ehre und Lebens entſetzet

werden. Et in Ordinatione Friderici Auguſti de ao. 1698. haec Art. VIII. diſpoſita leguntur: Vielmehr ſoll ein ieder treu und ſtandhafft bey ſeiner Eſtandarte oder Fähnlein halten, denn wer von demſelben ſich heimlicher weiſe abſentiret, über Nacht davon bleibet, oder gar von der Compagnie entläufft, ingleichen der ausreiſſet, feldflüchtig wird, oder gar zum Feinde überläufft, derſelbe ſoll, wenn er ertappet wird, ohne alle Gnade aufgehencket, da er aber nicht zu erlangen, öffentlich citiret, für Vogelfrey erklähret, zum Schelmen gemachet, und deſſen Nahme an den Galgen geſchlagen werden.

§. IX.

Sic ſequitur grauiſſima legum poena ſcelus, & fas eſt, ut poenas diis hominibusque meritas debitasque perſoluant hujuſcemodi diſcincti homunciones & purgamenta ſeruorum. Tantum uero abeſt, ut mitius cum Transfugis ſimulatoribus agendum, ut potius in hos animaduertendum grauius, durioremque poenam temeritatis ab his repetendam eſſe exiſtimemus. In hos enim peccant Transfugae ſimulatores, ad quos confugiunt. Hoc ſtratagemate non ſemel decepti ſunt hoſtes, ut non abs re uideantur eſſe, quae habentur in der Reuter-Beſtallung Maximiliani II. de ao. 1570. Art. 88. Wo einer oder mehr unter obgedachten Reutern im Lager, oder ſonſten im Dienſt, etwas hörete, oder vernähme, das Uns, dem Heil. Reich, oder dem Kriegsweſen, und Unſer, und des Heil. Reichs Land oder Leuten zur Nachtheil und Verhinderung gereichen möchte, oder ſonſt argwöhnige Leute ſähe oder wüſte, der ſoll

ſoll ſolches von Stund an ſeinem Rittmeiſter Oberſten, oder wenn die Sache alſo wichtig wäre, an den Feld-Oberſten gelangen laſſen. Wenn aber einer oder mehr ſolches nicht thäten, der oder dieſelbige, ſo man deſſen in Erfahrung kömmt, ſollen, wie der Haupt-Sacher, an Leib und Guth geſtraffet werden, ohne alle Gnade. Memorabile habemus exemplum apud LIVIVM *Lib. I. c. 53. & 54.* Tarquinii Superbi, qui filium, ut transfugeret ex compoſito Gabios, patrisque in ſe ſaeuitiam intolerabilem conquereretur, non dubitauit uerberare, quo ei, ſimulanti transfugam, apud hoſtes hinc fides eſſet. Benigne ab Gabinis exceptus quum ſenſim ad rebellandum primores Gabinorum incitaret, ipſe cum promtiſſimis juuenum praedatum atque in expeditiones iret, &, dictis factisque omnibus ad fallendum inſtructis, uana accreſceret fides: dux ad ultimum belli legitur. Ibi quum inſcia multitudine quid ageretur, praelia parua inter Romam Gabiosque fierent, quibus plerumque Gabina res ſuperior eſſet: tum certatim ſummi infimique Gabinorum Sextum Tarquinium dono Deûm ſibi miſſum ducem credebant. Apud milites uero obeundo pericula ac labores, pariter praedam munifice largiendo, tanta caritate extitit, ut non pater Tarquinius potentior Romae, quam filius Gabiis eſſet. Itaque poſtquam ſatis uirium collectum ad omnes conatus uidebat, tum e ſuis unum ſuſcitatum Romam ad patrem mittit, quidnam ſe facere uellet? quandoquidem, ut omnia unus Gabiis poſſet, ei Dii dediſſent. Huic nuncio, quia, credo, dubiae fidei uidebatur, nihil uoce reſponſum eſt;

rex

rex uelut deliberabundus in hortum aedium tranſiit ſequentè nuncio filii: ibi inambulans tacitus, ſumma papauerum capita dicitur baculo decuſſiſſe. Interrogando expectandoque reſponſum nuncius feſſus, ut re imperfecta redit Gabios, quae dixerit ipſe, quaeque uiderit, refert, ſeu irâ, ſeu odio, ſeu ſuperbia inſita ingenio, nullam eum uocem emiſiſſe. Sexto ubi quid uellet parens, quídue praeciperet, tacitis ambagibus, patuit, primores ciuitatis criminando alios apud populum, alios ſua ipſos inuidia opportunos interemit. Multi palam; quidam, in quibus minus ſpecioſa criminatio erat futura, clam interfecti. Patuit quibusdam uolentibus fuga, aut in exilium acti ſunt, abſentiumque bona juxta atque interemtorum diuiſa fuere. Largitionis inde praedaeque & priuati dulcedine commodi, ſenſus malorum publicorum adimebantur, donec orba conſilio auxilioque Gabina res regi Romano ſine ulla dimicatione in manum traditur. Hujus rei Hiſtoriam lege ulterius apud VALERIVM MAX. *7. 4. 2.* PLINIVM *19. 8.* & OVIDIVM FASTOR 2. cujus uerba jucunditatis elegantiaeque plena hic referenda ſunt:

Ultima Tarquinius Romanae Gentis habebat
Regna: Vir injuſtus, fortis ad arma tamen.
Ceperat hic alias, alias euerterat urbes:
Et Gabios turpi fecerat arte ſuos.
Namque trium minimus, proles manifeſta Superbi,
In medios hoſtes nocte ſilente uenit.

Nuda-

Nudarant gladios: Occidite, dixit, inermem:
Hoc cupiunt fratres, Tarquiniusque pater.
Qui mea crudeli lacerauit uerbere terga;
Dicere ut hoc poſſet, uerbera paſſus erat.
Luna fuit. Spectant iuuenem, gladiosque recondunt:
Tergaque, deducta ueſte, notata uident.
Flent quoque, & ut ſecum tueatur bella, precantur;
Callidus ignaris annuit ille uiris.
Jamque potens miſſo genitorem appellat amico:
Perdendi Gabios quod ſibi monſtret iter.
Hortus odoratis ſuberat cultiſſimus herbis,
Sectus humum riuo lene ſonantis aquae.
Illic Tarquinius mandata latentia nati
Accipit: & uirga lilia ſumma metit.
Nuncius ut rediit, decuſſaque lilia dixit:
Filius, agnoſco juſſa parentis, ait.
Nec mora: principibus caeſis ex urbe Gabina
Traduntur ducibus moenia nuda ſuis.

§. X.

Simile ſtratagema Zopyri eſt apud JVSTINVM I. *10. 15.* Namque cum Aſſyrii deſciuiſſent, & Babyloniam occupaſſent, difficilisque urbis expugnatio eſſet, aeſtuante rege, Zopyrus domi ſe uerberibus lacerari toto corpore jubet: naſum, aures, & labia ſibi praecidi: atque ita regi inopinanti ſe offert. Attonitum & quaerentem regem, Darium, cauſas aucto-

 rem-

remque tam foedae lacerationis tacitus, quo propoſito fecerit, edocet, formatoque in futura conſilio, transfugae titulo Babyloniam proficiſcitur. Ibi oſtendit populo laniatum corpus: queritur crudelitatem regis, a quo in regni petitione, non uirtute, ſed auſpicio, non judicio hominum, ſed hinnitu equi ſuperatus ſit. Jubet illos ex amicis exemplum capere, quid hoſtibus cauendum ſit. Hortatur, non moenibus magis, quam armis confidant, patianturque ſe commune bellum recentiore ira gerere. Nota nobilitas uiri pariter & uirtus erat: nec de fide dubitabant, cujus ueluti pignora, uulnera corporis, & injuriae notas, habebant. Conſtituitur ergo dux omnium ſuffragio: & accepta parua manu ſemel atque iterum, cedentibus conſulto Perſis, ſecunda praelia facit. At poſtremo uniuerſum ſibi creditum exercitum Dario prodit, urbemque ipſam in poteſtatem ejus redigit. Patet inde, hac ratione facile poſſe hoſtem decipi, ut Duci, uel Moderatori Reipublicae diligenter ſit proſpiciendum, ne incautius admiſſis transfugis uel hoſpitibus cladem accipiat.

§. XI.

Refert VALESIVS *in Annotat. ad Excerpta Peireſcii, & quidem Polybii p. 35.* eum ſcripſiſſe, Philippum mandaſſe Heraclidi, ut quouis pacto naues Rhodiorum corrumperet. Quod mandatum ut exequeretur Heraclides, flagris ſemet ipſe lacerauit, atque ita progreſſus e regia, cum flens ſic ſe a Philippo miſere habitum eſſe diceret, mox ad Rhodios clam con-

confugit, eisque epiſtolas Philippi oſtendit, quibus Philippus Cretenſes ad ſocietatem aduerſus Rhodios hortabatur, paulloque poſt occaſionem nactus naualia Rhodiorum incendit. Haec Valeſius. Apud LEVNCLAVIVM *Lib. V. Hiſtor. Muſulm.* Transfugae ſimulatoris exemplum reperimus notatu digniſſimum. Nam Murat Chan Gaſi III. Turcarum Imperator, cum omnia circumſpiceret ac perpenderet de ratione capiendae Hadrianopoleos, tandem optimum reperit, ſi fuga ſimulata Chazis Ilbegus Hadrianopolin ſeſe reciperet. Intellecto Muratis conſilio paruit Chazis, & cum Hadrianopolin profugiſſet, acerrimum ſe Muratis hoſtem profeſſus eſt. Simul indies eruptione facta Murati negotium faceſſere, & ob id magna apud Regulum Hadrianopolitanum gratia eſſe coepit. Quoque magis deciperentur obſeſſi, Murat quotidie nonnullos e ſuis adornabat, qui, uelut a Murate non ex merito in caſtris habiti, ex illis in urbem profugerent. Horum numerus breui creuit ad ducentos, qui adeo feroces facti, ut urbem a ſe capi poſſe nequaquam dubitarent. Forte nocte quadam Chazis Hadrianopoli cum prima luce portam urbis aperiri ſibi juſſit, quod cum decem e ſuis uenatum ſeſe exiturum diceret. Frequenter id facere ſolito nec tum negabatur. At ille, aperta porta, gladium ſubito ſtringere coepit, eodemque momento aderant transfugae reliqui, & cum urbis portam occupaſſent, Turci, qui non procul ab urbe deliteſcebant, occurrunt, & urbem ingreſſi miſerandum in modum omnia diripiunt. Sic fraus in paruis fidem ſibi praeſtruit, ut, cum operae pretium

 eſt,

eſt, mercede magna fallat. Addatur hic & legatur, quod NICEPHORVS GREGORAS refert *Lib. III.* de clade Michaëlis, Ætoliae & Epiri Deſpotae, quam ipſi Transfuga ſimulatus intulit. Transfugis non temere credendum eſt. Uti enim, qui bona fide contrarias partes eligit, multum ſolet prodeſſe, ita, qui mala, multum ſaepe poteſt nocere. Strenippus, ad Tegeatas fugiens, ab iis, qui uere eum ab Ephoris multatum, ideoque irritatum injuria fugiſſe credebant, exceptus, eorum, quos corrupit, auxilio, Ariſtoclem, Principem ſacrificantem, occidit. Hannibal in Cannenſi praelio, per Transfugas ſimulatores terra Romanorum cecidit, FLOR. *Lib. 2. 6.* & Craſſus, dum Mezerae Syro temere credidit, ab eo in mediam camporum uaſtitatem deductus, una cum exercitu undique hoſti expoſitus, miſerabili ſtrage & ipſe & exercitus deletus fuit. Ipſe enim in colloquium ſollicitatus, ſigno dato, uiuus in hoſtium manus incidiſſet, niſi Tribuni repugnaſſent, ſed tamen fugam ejus barbari ferro occuparunt, & ſic reciſum ejus caput cum dextera manu, & ad regem reportatum ludibrio fuit. Reliquiae infelicis exercitus, quo quemque rapuit fuga, in Armeniam, Ciliciam, Syriamque diſtractae, uix nuncium cladis retulerunt. FLOR. *Lib. 3. c. 11.*

§. XII.

Criminis tam ſcelerati, ac tam nefarii, in quo plures ineſſe culpas quisque uidet, atrocitas quanto grauior, tanto eſt dignior poena duriſſima. Transfuga

fuga uere talis, qui animo nunquam reuertendi aufugit, ab his, quos deſeruit, ſi intercipiatur, patibulo affigitur, & antiquiores Germani jam proditores & transfugas arboribus ſuſpenderunt. TAC. *de Germ. c. 12.* Et forſitan ejusmodi transfuga excuſandi cauſas nouit praeuertere, ſi uerbi gratia durius fuerit habitus, quam fas eſt, uel ſi exercitus inediae, aut periculo mortis ſit expoſitus, aut ſi agnoſcat injuſtitiam belli ex parte eorum, unde profugit. Quae quidem rationes quamuis pleraeque ita ſunt comparatae, ut uitae conſeruandae cauſa transfugium ſuſceptum fuiſſe teſtentur, a poena tamen non liberabunt. At enim uero Transfuga ſimulator qua quaeſo ratione ſeſe poterit excuſare? Hypocrita eſt, cujus ab malum finem externa ſigna diſſentiunt ab interno mentis affectu. Fallere ſtudet, dum ſe amice gerit. Injuſtitiae uero nulla eſt capitalior, quam eorum, qui tum, cum maxime fallunt, id tamen agunt, ut uiri boni eſſe uideantur. CIC. *Lib. 1. de Offic.* Dolus malus adeſt, cum aliud ſimulatur, aliud agitur. CIC. *Lib. 3. Offic.* Grauiſſima, & capitali poena Transfugae Simulatores ſunt afficiendi.

§. XIII.

Perduellio eſt, quum quis hoſtili animo contra ſalutem Principis aut Reipublicae, aliquid molitur. HVBERVS *in Praelect. Jur. Rom. ad Leg. Jul. Maj.* Neminem fore, autumamus, qui non primo ſtatim intuitu intelligat, grauiſſimum perduellionis genus a Transfuga committi Simulatore. Quicquid enim hic

pertinaciter ſuſcipit & friuole, id omne ſecuritatis, dignitatis, poteſtatisque in republica non turbandae cauſa ſolum agit, ſed & ad id tendit, complurium ſanguis hominum ut profundatur, maxima pars exercitus profligetur, & interficiatur, fractisque uiribus Respublica debilitata cadat, raptaque ab hoſtibus excidatur. Quid enim? Tunc exiſtit depopulatio agrorum, aedium ſacrarum, publicorumque operum. Hoſtis perpopulatur terras, uaſtat, & urit omnia. Sine ullo igitur dubio referendum eſt hocce delictum inter crimina conſpirationis & laeſae Majeſtatis, atque ſeuere uindicandum. Finge Transfugam, Simulatorem, conſtitui magiſtrum militum; hic ſane tali modo in commodum hoſtis aut multa agere, aut omittere poteſt, u. c. Durch ohnnöthiges Ubergeben einer Veſtung, durch verdächtige Veranſtaltung des Lagers, und Verſchwendung des Prouiants und Ammunition ohne Urſache, wenn er die Völcker an gefährliche Orte führet, wo der Feind auflauret, dem Feinde Geheimniſſe offenbahret, *uid.* KRESS. *ad Ordin. Crim. Art. 124.* Hujuscemodi delictis, & ſemper, ſi hoſti publico proditio fiat, ultimum, fas eſt, ut ſupplicium decernatur, & quidem uel ſuſpendii, DECIAN. *Lib. VII. c. 31. n. 13.* uel certe gladii, aut in Saxonia; *uid. Lib. II. Art. XIII. Spec. Sax.* poena rotae, KRESS. *l. c.* Ex Conſtitutionis Criminalis articulo 124, perduellionis reus in quatuor partes ſecatur: Welcher mit boßhafftiger Verrätherey mißhandelt, ſoll der Gewohnheit nach durch Viertheilung zum Tode geſtraffet werden.

§. XIV.

§. XIV.

Veniunt hic in mentem, quae de Metio Fufetio habentur apud LIVIVM *Lib. I. c. 28.* Hic, Fidenate bello, miſſus Tullo Hoſtilio, Romanorum Regi, in auxilium ex foedere, medius inter duos expectauit fortunam. Non plus ei animi erat, quam fidei. Igitur nec manere, nec tranſire aperte auſus, ſenſim ad montes ſuccedit, ibique erigit totam aciem, fluctuansque animo, ut tereret tempus, ordines explicat. Conſilium erat, qua fortuna rem daret, ea inclinare uires. Tullus Hoſtilius, parta uictoria, Albano exercitu ſpectatore certaminis, Metium Fufetium benigne alloquitur, caſtra Albanos Romanis caſtris jungere jubet, & ſacrificium luſtrale in diem poſterum parat. Ubi illuxit, paratis omnibus, ut aſſolet, uocari ad concionem utrumque exercitum jubet, &, ubi concionatus eſt uaria, Metium Fuffetium religatum inter duos currus pernicibus equis diſtrahit. Auerterunt, ut ſcribit Liuius, omnes a tanta foeditate ſpectaculi oculos. VIRGILIVS 8. Æneid. rem ita refert:

Haud procul inde citae Metium in diuerſa quadrigae
Diſtulerant, ac tu dictis Albane maneres.
Raptabatque uiri mendacis uiſcera Tullus
Per ſyluam, & ſparſi rorabant ſanguine uepres.

Apud Gallos hoc ſupplicii genus eſt ualde frequens & antiquum, *uid.* HIERON. GIGAS *in Tractatu* CRIM. *Caeſar. Maj. q. 1. n. 7.* Nam eadem affecta eſt in Gallia Brunechildis, ut ſcribit Addo *Epi-*

ſcopus

ſcopus in Chronic. A. C. 583. & Carolus M. Gannalonem exercitus ſui proditorem, quatuor equis, totius exercitus ferociſſimis, alligari juſſit, ſeſſoribus ſingulis equis aſſignatis, qui contra quatuor mundi cardines eosdem admitterent, ut auctor eſt JOHANNES TVRPINVS *in uita Caroli c. 26.* Ita diſcerptus periit Sebaſtianus Montecuculus A. C. 1536. inſimulatus, Franciſcum Delphinum, Franciſci filium, ueneno intercepiſſe; & A. C. 1589, Burgoinus Dominicanus, Jacobi Clementis Prior, qui cum eo conſilia miſcuerat de occidendo Henrico III. Valeſio; quod utrumque debemus obſeruationi FREINSHEMII ad CVRTIVM *Lib. VII. c. 5. §. 40.* Huic addimus narrationem BVSBEQVII, *Epiſt. VIII.* ſcripta Anno 1582, de Salcedo. Salcedus graues dedit poenas, haud ſcio, cujus criminis, niſi quod enorme fuiſſe oportet, cui tanta ſupplicii acerbitas conueniret. An in caput Alenzonii conjurauerit, an in Regis, an in utriusque, certo non conſtat. Damnatus fuit, ut a quatuor equis diſcerperetur. Cum equi bis in diuerſum acti traxiſſent, regem, qui una cum matre & uxore de feneſtra deſpectabant, inclamauit, ut in ſe uteretur clementia. Tum ei fracta gula, caputque a ceruicibus ablatum, & euulſum cor; reliquum corpus diſtraxerunt equi. Hoc ſupplicium LIVIVS *Lib. I. c. 29.* uocat exempli parum memoris legum humanarum. Id uero genus poenae ab Hercule repertum ferunt, qui, florenti adhuc aetate, Regem Euboeae Pyrrechmen, bellum Baeotis inferentem, uicit, uictumque pullis equinis ita alligauit, ut in duas diſpartiretur partes, inſepultusque jaceret.

§. XV.

§. XV.

Aut duriori, aut hac, aut ſimili poena Transfugas Simulatores dignos eſſe ſtatuimus. Namque ſi, qui ſaltem proditionis cauſas comperit, & reticet, nec denunciat, grauiſſima, eaque poena ipſa afficitur, qua coërceri ſolet autor proditionis, multo magis dura poena conſtituenda & exequenda in eum eſt, qui auctor ejusmodi criminis omnino eſt. Sic ſe habent uerba in Kayſers Ferdinandi III. und Leopoldi Articuls-Brief Art. 32. Item, Wo einer oder mehr einige Verrätherey oder andere böſe Stücke, ſo von einem, oder mehr, dem Kriegs-Herrn oder gemeinen Hauffen zu Nachtheil getrieben würden, erführen und inne würden, der ſoll die Mißhändler zur Stund der Obrigkeit, und dem Profoſen bey ſeinem Eyd und Pflichten anzuzeigen ſchuldig ſeyn, und wenn er ſolches nicht thäte, als ein Meyneidiger, und als der Thäter ſelbſt darum geſtraffet werden, *uid.* BART. *in l. utrumque 6. ff. ad Leg. Pompejam de Parricid.* DANHAVER *Pr. Crim. de ſedit. c. 63. n. 2.* Id interim certum, hocce genus delicti ad perduellionem referri poſſe, & eſſe criminale, uindicandum *ex Ord. Crim. Art. 124.* Et poenam capitalem locum habere arbitramur, licet Transfuga Simulator nondum nocuerit. Nouimus ad crimen concurrere 1) cogitationem de crimine, 2) praeparationem mediorum, 3) aggreſſionem operis, & 4) conſummationem criminis. In Transfuga Simulatore adeſt cogitatio de crimine, propterea quod conſilio deliberato fugam ſimulatam ſuſcipit. Adeſt aggreſſio

 operis

operis ipſius, quae conſiſtit in actu fugae ſimulatae, niſi enim transfugeret, non poſſet nocere. Adeſt praeparatio mediorum, quoniam adueniens ſimulat uerum Transfugam, qui tamen non eſt, falſisque perſuaſionibus utitur. Deficere uidetur interdum conſummatio operis, ſi uidelicet actu nondum nocuerit. Sed actu ut nocuerit, uix requiri putamus, propterea quod ſatis eſt, ipſum ueniſſe ut Transfugam Simulatorem, ueniſſe animo fallendi, nocendi, falſasque perſuaſiones adhibuiſſe. Hoc ipſo, dum uenit, ſuisque perſuaſionibus effecit, ut reciperetur, dictisque fides haberetur, conſummatio criminis adeſſe nobis uidetur. Data occaſione, & niſi fraus detecta fuiſſet, ſine dubio nocuiſſet. Accidit minime raro, ut Transfugae ſimulatores rurſus recedentes ſecum abduxerint milites, eosque plures, arma, ueſtimenta. Dolus adeſt, & reliqua, quae efficiunt, ut grauiter & capitaliter puniendus ſit. Alia quaeſtio eſt, ſi non ui extrinſeca impeditus, ſed propria poenitentia ductus nihil tentauerit Transfuga Simulator, & potius animi intentionem confeſſus ſit. Mitiorem poenam, quam quidem capitalem, mereri poſſet, cum utique hominis adhuc juſti bonique ſenſu imbuti ſignum uideatur, propria reſipiſcentia ſibi a ſceleris complemento temperaſſe. • Sed etſi grauiter & capitaliter plectatur, injuria non eſt, propterea quod in perduellione conatus aeque, ut ipſum crimen puniatur, & nemo perſcrutari poſſit, annon poenitentia ipſius aeque ſit ſimulata, ac quidem ſimulatum fuit ipſius transfugium. Semel malus, ſemper eſſe malus in eodem genere delicti praeſumitur. Supra di-

dictum fuit, totius injuſtitiae nullam eſſe capitaliorem, quam eorum, qui tunc, cum maxime fallunt, id agunt, ut boni eſſe uideantur. Nam, cum eo ſint ingenio homines, ut fere ſpecie & colore rerum magis, quam rebus ipſis permoueantur, hac arte & obruunt incautos, & multos fuco ſuo in ſcelerum abripiunt ſocietatatem. Prominentes ſcopulos nautae euitant facile, ad latentes & aquis obtectos naues colliduntur: Ita, qui flagitiis ſuis uirtutis mentiuntur nomen, duplo plus nocent, quam qui ſine uelamine ſceleſti ſunt. Neque periculoſa eſt adeo ſimplex & aperta malitia, quam nequitia pietatis ſimulato condita. Peſſimus omnino malus eſt, ubi ſe bonum ſimulat.

§. XVI.

Habes hic, Lector Humaniſſime, pauculas ſuccinctasque meditationes de Transfuga Simulatore. De hoc ipſo argumento egit in ſpecie, quantum meminimus, nemo. Calculum ſi adjicis Tuum, Lector Humaniſſime, gratum erit, adjicies autem, ſi uere humanus es, nec inuidia laboras; ſin uero diſpliceant cogitationes noſtrae, tuas ede in lucem, remque demonſtra & clarius, & accuratius, & jucundius. Nobis ſatis erit, aliorum excitaſſe induſtriam. Nouimus, quod nec Jupiter, ſeu pluat, omnibus placeat,

ſeu ſit ſerenus. *Πάντων ἐςὶ δυσχερέςατον τοῖς πολλοῖς ἀρέσκειν* ut ait Demoſthenes. Ejusmodi autem hominis judicium, qui hujus generis Tractatus, quod pauculas paginas continent, malo nomine inſignit, parum curamus. Judicium eſt inuidiae plenum, & ejusmodi homo forſitan edere quicquam nequit in lucem, alias oſtenderet omnino ingenii judiciique acumen, eo potiſſimum tempore, ubi officii ratio ſcritionem quandam exigere uidetur.

TANTVM.

[BIBL]IOTECA NAZ. ROMA [VITTO]RIO EMANUELE

Digitized by Google